

## IV.

Graf Heinrich von Sayn und seine Gattin Mechtildis überlassen der Abtei Heisterbach anstatt der ihnen von der verstorbenen Gräfin Jutta von Landsberg geschenkten Jahresrente aus dem Hofe Benzinchusen zwei Mansen Waldland zu Witterschlick. — 1216.

In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Henricus divina permissione comes Seynensis universis sancte matris ecclesie filiis presentibus atque futuris in perpetuum. Veritatis ore peroratum est 'lucernam in domo domini sancti spiritus inspiratione flagrantem non debere abscondi neque sub modio poni sed super candelabrum ut luceat et sancte emulationis incent[iv]um devotis fidelium mentibus amministret.' Sane huius rei gratia permotus universitati vesture duxi significandum quod illustris femina comitissa de Landesberg socrus mea Jutta nomine cum in extremis ageret et non ignoraret, unumquemque post hanc vitam recepturum prout gessit in corpore sive bonum sive malum, inter cetera que in spiritu devotionis et mente compuncta pro sue anime remedio pie disposuit, sepulturam in monasterio quod vocatur vallis s. Petri eligens conventui inibi deo servienti legavit duas marcas colonienses singulis annis perhenniter in festo s. Martini de curti sua *Benzinchusin* nuncupata colligendas. Cum itaque dictus conventus easdam duas marcas aliquot annis continuis de proventibus memorate curtis statuto tempore perceperisset et ego pie recordationis eiusdem comitisse unicam filiam Mechtildim secundum statuta ecclesiastica michi matrimoniali cōpula sociassem atque per hoc in universum ius, quod socrus mea in prefata curti *Benzinchusin* videlicet habuerat, ratione uxoris mee successissem, de consensu quinimmo ad instantiam et petitionem dicte dilecte coniugis mee Mechtildis videlicet in recompensationem prenotati annualis redditus duos mansos mei nemoris in *Weterslich* antefato vallis s. Petri conventui libere et absolute tradidi in perpetuum quiete possidendos et omnimodis ipsius usibus profuturos. Verum ne hec tam discreta commutatio ac salubris donatio temporum transitione vel heredum meorum aut aliarum personarum mutabili successione, improba calumpniantium temeritate valeat mutari vel in irritum deduci, presentem paginam in veritatis monumentum et perpetue stabilitatis munimentum exinde conscriptam proprii sigilli impressione iussi roborari. Ego vero Mechtildis comitissa Seynensis ad declarandum super premissis liberum proprie voluntatis consensum hanc ipsam paginam huius facti seriem fideliter continentem meo sigillo feci communiri. Testes quoque quibus presentibus hec acta sunt tam ego Henricus comes quam ego Mechtildis comitissa diligenter fecimus annotari quorum hec sunt nomina: Theodericus de Oitgenbach Henricus de Dorendorp, Roricus de Styldorp Christianus de Blankenberg Symon et Zacharias milites Roricus de Gevardeshagen dapifer Gisilbertus de Seyne pincerna Petrus Anglicus et alii quamplures. Actum anno dominice incarnationis M. CC. XVI. inductione IIII. regnante domino nostro Jhesu Christo per omnia secula seculorum Amen.

Aus dem ältern Cartular der Abtei pag. 24 im Staatsarchiv zu Düsseldorf. 'Benzinchusin' ist vielleicht Benshoußen im Kreise Schleusingen.